



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118871**

§. 110. Decretum Universitatis Parisinæ de Jesuitarum Scholis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.  
A. C. 1630.

## §. CX.

*Decretum Universitatis Parisinæ de  
Jesuitarum Scholis.*

Agitabant Jesuitæ consilia de multi-  
plicandis Scholæ suæ classibus, *Argentre l. c. p. 312.*  
ita ut quælibet in duas divideretur,  
proin duo Collegia in eodem Collegio  
Claromontano exstruere possent, hoc  
vili obtentu, quod ob maximum Scho-  
lasticorum concursum hi commodius  
sederent, morbique, qui ut plurimum  
æstivo tempore grassantur, arcerentur:  
Verum Facultas re comperta die deci-  
ma septima Aprilis in æde Rectoris Ma-  
gnifici desuper consultabat, confecto-  
que libello supplici rem ad Champi-  
gnium primum Curia Præsidentem detu-  
lit, eo fine, ut per eum cum Regio  
Senatu hac de re agere liceret. Præ-  
ses vero, ubi Rectorem attente exce-  
perat, respondit, *si quid Jesuitæ contra  
jus, legesque attentaverint, eos coercebimus.*  
Die sequenti Curia, æquam esse Facul-  
tatis petitionem censuit, & confestim,  
antequam Regio Cognitori Facultatis  
libellus ostenderetur, Curia sententiam  
Jesuitis denuntiari præcepit, ne hi, si  
diutius prædictum libellum retineret  
Cognitor, ignorantiam prætexerent.

Z 4

suum-



Sæc. XVII. suumque consilium interim executioni  
A. C. 1630. darent.

## §. CXI.

*Gabrielis Tressii & Joannis Baptista  
Dati Cardinalium obitus.*

*Ciacon. in  
vita Pauli V.  
& Clement.  
VIII.  
Ughel. Ital.  
sacra.* Postremum vitæ suæ diem hoc anno  
clauserat die duodecima Februarii  
Gabriel Tressius natione Hispanus, qui  
Salmanticensis Academiæ Doctor pro  
B. Virginis immaculata conceptione  
tantum operæ studique posuit, ut quam-  
vis se Romanæ Curie minus addictum  
præberet, a Philippo tamen III. Hi-  
spaniarum Rege ad Purpuram nomi-  
naretur, qua etiam a Paulo V. obtenta  
primo Salernitanus postea Malacensis  
Episcopus renuntiabatur, ubi etiam de-  
natus in sua Ecclesia sepultus est. Hunc  
pari fato sequebatur Joannes Baptista  
Datus, Patritius Florentinus, quem  
Petrus Cardinalis Aldobrandinus suæ  
familie quondam fore proficuum ratus  
vix Gramatices gnarum annosque non-  
nisi septendecim natum Clementi VIII.  
Papæ tam importune obtrudit, ut il-  
lum Cardinalem nominaret, quamvis  
postea illum sæpius poenituerit, quod  
juvenem tanto honore indignum ele-  
gisset: Datus enim mores Viro Eccle-  
siastico indignos exhibuit, multoties  
a Cle-